

Essentia enim generans & generata, in divinis non distinguuntur inter se numero: id quod falso presupponitur: Sed Vna numero est & manet Essentia divina, quae quatenus generat, ἡ ὅσα αὐτῆς sive personam constituit patris generantis: quatenus verò genita est, constituit personam Filij geniti.

110. Quae eadem opera ad Iesuita Bellarmini argutias solidissime responderi potest, quando ille contendit, Nihil posse seipsum generare: & nihil à seipso generari. Hoc enim axioma verum est de ijs, quae non modò personis, sive ἡ ὅσα αὐτῶν, sed ipsa etiam Essentiâ differunt. Essentia autem generans, in divinis ab Essentiâ genitâ, numero non differt: quemadmodum neque differt numero à procedente Essentia.

111. Caterum ut ad confirmandam eternam divinitatem Filij accessum faciamus, evidens planè eius asserendae argumentum, ex hac ipsâ eternâ generatione Filij, peti & potest & debet.

DIVINI-
TAS FI-
LII.

112. Quia enim in hac inenarrabili generatione Filius non aliam ἑστὴν sive substantiam, à Patris essentiâ diversam aut separatam accepit, aliam verò Pater ipse retinet: sed unam eandemque essentiâ & Pater & Filius prorsus ἀδιαίρετως obtinet: Consequens est, Filium à

Patre